



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Saxonia Catholica, Hoc Est Christianae Fidei, Qvam Ad
Salvtem Animarvm Aviti Avgvstae Domvs Saxonicae
Principes, Reges, & Imperatores coluerunt, Gloriosa
Confessio**

Cutsemius, Petrus

Coloniae Agrippinae, 1621

Fridericvs II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11884

Hic Otto an. Dom. 1209. inquit Author Fragmenti hist. rex pro imperiali benedictione tempore messum Romanum proficiscitur, qui etiam ab Innocentio Papa in Imperatorem consecratur, iuramento prius præstito, quod terram, & bona S. Petri, quæ sui antecessores usq; ad id temporis contra iustitiam tenuisse videbatur, R.E. libera dimitteret. An. Dom. 1210. Imperator non sano usus consilio rupit fœdus iuramenti, quod fecerat cum Papa & Romanis, occupando & vendicando sibi bona S. Petri contra pactum. Vnde à Papa sapientius admonitus, & correptus, desistere contempsit, & ob hoc meritam excommunicationis sententiā incurrit. Et infra: Videns igitur Papa pertinaciam Ottonis, quæ prius in omnibus fouerat & in altum sublimauerat, cum neq; pro absolutione, nec pro compositione aliqua laboraret, misit in Siciliam, & eduxit inde Fridericum, Henrici quondam Imperatoris filium, & literas suas direxit vniuersi terra Principibus, qui bus dedit in mandatis, ut eundem Fridericum loco Regis susciperent, & manutenerent, & in omnibus ei astarent, sibiq; transeunti per terras quisque suo loco conductum honorifice præberent, quod & factū est. Eadem referunt & alij scriptores coetanei, Conradus Abbas Vrsperg. Albertus Stadensis, quiq; eos sequuntur Ioh. Trithemius in Chron. Hirsaug. & alij.

FRIDERICVS II.

PO R R O vt aliquid amplius cognoscatur de electione, vel susceptione Friderici,
dicit

110 SAXONIA CATHOLICA

dicit Author Fragmenti, Anno Domini 1213.
Fridericus curiam Aquisgrani in festo B. Iacobi
habuit vbi de consensu Principum locatus est in se-
dem Regni. Paduanus Monachus etiam syn-
chronus breviter electionem eius sic indigi-
tat. Anno Domini, inquit, 1211. istis temporibus
Fridericus adolescens Rex Siciliae, filius Henrici
Imp. & Reginae Constantiae, quae fuit filia Rogerij
Regis Siciliae de mandato magnifici Papae Innocen-
tij per Lombardiam cum auxilio Marchionis Esten-
sis ascendit in Alemanniam confidenter. Quem ita
gratissime Prelati, & Principes Alemanniæ susce-
perunt, quod pauci remanserunt de Principibus
cum Ottone. Tandem ipsum in Regem Alemanniæ,
& in futurum Imperatorem concorditer ele-
runt. Quinam verò & quando, indicat Con-
radus Vrsperg. ad an. Domini 1210. Tunc, in-
quit, Principes Alemanniæ, Rex videlicet Bohemiae,
Dux Austriae, Dux Bauariae, & Landgravius Thu-
ringiae, & alij quam plures conuenientes Frideri-
cum Regem Siciliae elegerunt in Imperatorem co-
ronandum. Anno verò Domini 1220, inquit
idem: Fridericus Roma coronatur in Imperatorem
in Basilica S. Petri, de mandato Honorij Papæ, per
ministerium Domini Hugelini, tunc Hostiensis E-
piscopi, postmodum Apostolici. Conradus Epi-
scopus qui tunc vixit, & titulum Ecclesiæ
sue dissimulauit, humiliter se vocans pres-
byterum, Episcopali Sede indignum, in
Chronico suo quod terminatur ad ann. 1251.

non

non procul à fine , omnia hæc breuissimè complectitur: Anno Domini , inquit , millesimo ducentesimo octauo Principes post mortem Philippi Regis in Ottonem conueniunt , qui fuerat aduersarius Philippi , cuius parti etiam Papa fauebat . Iste Otto maturauit ad Papam venire pro imperiali consecratione , solenniter proficiscitur , consecratur , post annum excommunicatur : Eique filius Henrici Imperatoris Rex Siciliae Fridericus suscitatur à Papa . &c. Fridericus venit de Apulia contra Ottoneum , post annos aliquot Otto moritur , Fridericus dispositis , prout melius potuit , rebus , Romanam proficiscitur , in Imperatorem consecratur An. Do. 1220.

Ab hoc Friderico , qui tandem à virtute summi Principis totus degener , totus vitiösus , nec resipitcens , in Oecumenico Concilio Lugdunensi I. à Papa Innocentio IV. excommunicatus , & Imperio priuatus fuit d. 21. Iunij , An. 1245. numerant pleriq; Chronologi , & Historici viginti , & octo annorum interregnum , vsq; ad Imperium Rodulphi I. Habsburgensis , qui an. 1273. electus est , vt statim intelligemus .

H E N R I C V S,

Thuringiæ Landgrauius.

LE G I M V s tamen in Chronicis Alberti Abbatis Stadensis qui illo tempore scripsit , Friderico deposito , instinctu , hortatuq; summi Pontificis , à nonnullis Principibus surro-

H gatum